4. In Adventu quotidie ad Rorate, et in quinque praecipuis officiis defunctorum, vel quando quis defunctus sepeliendus est, sive is sit Monachus, sive Novitius, sive Conversus vel Donatus, celebrari Missarum mantellis suis induti intersint.

5. Quando portarii audituri sunt Missam, vel ituri ad mensam, alii interim à Magistro Conversorum substituantur qui portarum custodiam habeant.

6. Nemini confitebuntur Conversi, nisi deputato ab Abbate aut Praeside, qui illos à certis casibus absolvere non poterit.

7. Singulis annis in XI singuli faciant generalem confessionem, ab ultima incipiendo praemissa recollectione et animi renovatione, per spiritualia exercitia, prout Monachi faciunt.

8. Quicunque semel in anno vel proprio Abbati, vel ipso annuente alteri cuius copia datur, fideliter et integrè confiteri neglexerit, vinculo Excommunicationis se noverit irretitum, cui etiam poenae se subiectos noverint, qui se in fraudem aliis quam propriis Confessariis nostri Ordinis deputatis confiteri absque licentia praesumunt, et si de hoc convicti fuerint graviter puniantur.

9. Omnibus diebus quibus Conventus publicè communicat, etiam Conversi post Confessionem Sacramentalem communicabunt.

De Capitulo Conversorum Cap. V.

1. In omnibus Dominicis diebus, praeter eos quibus generaliter sermo fit in Capitulo Monachorum, item in crastino Nativitatis Domini, Paschae et Pentecostes, audito signo campanae, sub primo signo ingrediantur Capitulum suum, et teneatur eis Capitulum à Praeside vel Magistro.

2. Veniens autem Praeses vel Magister, antequam resideat caeteris stantibus versis vultibus ad Orientem dicat, Pretiosa, et in Capitulo Monachorum, excepto quod neque Martyrologium legitur, neque regula sed omnia Monachorum in vita directorum fiant, et Conversis videntibus quae fuerit videnda, resideant inclinantes sibi mutuo: Tunc Praeses vel Magister praemissa Benedicite respon-

4741

responsoq Dnūs, legat Evangelium faciatq Exhortationē, qua finita et subiuncto ab oībus Amen Immediatē si recipiendus erit Novitius, dicat Conversus cui hoc iniunctum est offm, Conversus est recipiendus. Tunc Praeses vel Magr dicat Novitius Conversus in Caplo Monachorū receptus est, Veniat et mittemus eum in Ordine suo, et iussu illius adducat illum praedictus Conversus, cui petita primis venia, astanti ante eum exponat breviter Praeses vel Magr, asperitatem et vilitatem Ordīs, dicatq se taliter recipi ab Ordine, ut valentis admodum servi, pro precio conducti, laborem sibi iniunctum adimpleat. Deinde oret pro perseverantia eius, cumq viderit Novitius se cum Dei adiutorio velle cuncta servare, dicat qui praeest Caplo: qui coepit in te Deus ipse perficiat, et dicto ab oībus Amen, iubeat eum in Ordine suo collocari. Postea absolvantur defuncti Conversi, et oēs intitulati in libro defunctorū Conversorum quibus peractis dicat qui praeest Caplo Loquamur de Ordine nrō, quo dicto, petant veniam, qui se culpabiles norunt, poscantq licentiam loquendi, et se accusand, vel alter alterum proclamandi.

3. Quicunq absq licentiā locutus fuerit, vel superbē renuerit poenitentias, vel etiam qui à sententia Praesidentis Capli appellaverit ad Superioritatem aliquam, mittatur statim ad carceres, nisi ante exitum Capli resipiscat, et se humiliet.

4. Proclamatus audiens nomen suum statim petat veniam, et non nisi ad iussionē Praesidis surgat, et examinata culpa, si reus fuerit inventus poenitentiam acceptet.

5. Si quis exigentibus culpis poenitentiā accipit nihil aliud dicat quam mea culpa, volo me emendare.

6. Quicunq Conversorum proclamationes seu etiam charitativas reprehensiones, et denuntiationes ommittit, praesertim si videat gravius scandalum subsequi posse, de suo contemptu et negligentia, coram districto Iudice se redditurū noverit.

7. Post culparum cognitionem dicatur ipsis Conversis, quid legere debeant pro defun-